



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 6. Magnanimitatem non aduersari Christianæ humilitati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

am non sine fortitudine intenditur: non tamen eadem est fortitudinis & magnanimitatis honestas. Aliud enim est, operari, quia decet hominem non auerti à bono ob adiunctam difficultatem, quod est motiuum fortitudinis; aliud operari, quia hoc est fundamentum magni honoris debiti, quod est motiuum magnanimitatis. Hinc deducit Aristoteles, magnanimum, magnos honores, si exhibeantur, tamquam sibi accommodatos admittere, deque eis cum mediocritate gaudere: quin, etiamsi non adæquent eius meritum, si tamen à viris probis deferantur, eos non dedignari; sicut dedignatur honores à vulgo & fæce hominum, vel ob res nihili, exhibitos: quemadmodum inhonationem quoque etsi ea se indignum agnoscit, quia est recto animo, despicit prorsus, si à vili homine, aut terræ filio, vel ob rem nullius momenti inferatur. Est enim hoc aliud nihil, quàm si musca mordeat leonem, aut auicula grauet elephantem.

§. VI.

*Magnanimitatem non aduersari Christiana humiliati.*

Hanc Aristotelis de magnanimitate do-

B 2

ctrinam

Viues lib.  
de corru-  
ptis disci-  
plinis.  
Medin.  
lib. 2.  
paræn.  
cap. 3.  
S. August.  
lib. 83. 99.  
cap. 36.

ctrinam Viues & Michaël Medina, tamquam Euangelio & virtutis naturæ repugnantem carpunt. Et videtur ijs suffragari D. Augustinus his verbis: *Ubi fuerint carnalium voluptatum illecebra superata, cauendum est, ne subrepat atque succedat cupiditas placendi hominibus, aut per aliqua facta mirabilia, aut per difficilem continentiam siue patientiam: aut per aliquam largitionem, aut nomine scientia vel eloquentia. In eo genere est & cupiditas honoris, contra qua omnia proferantur ea, qua scripta sunt de laude charitatis, & de inanitate iactantia: doceaturq; quàm sit pudendum eis placere velle, quos nolis imitari. Aut enim boni non sunt, & nihil magnum est a malis laudari: aut boni sunt, & eos oportet imitari. Sed qui boni sunt, virtute boni sunt: virtus autem non appetit, quod in aliorum hominum potestate est. Qui ergo imitatur bonos, nullius hominis appetit laudem; qui malos, non dignus est laude. Hæc Augustinus verè, sed ea, vt videbimus, neque nobis, neque Aristoteli aduersantur. Neque enim semper genius Magnanimi, quo plerique abutuntur, pro Aristotelica magnanimitatis natura accipiendus est, cum facilè transeat in genium superbi, & fumo, vt dici solet, flamma proxima sit.*

§. VII.

## §. VII.

*Quatuor modis gloriam appeti; sed non omnibus bene.*

Vt ergo neque magnanimitatis virtutem excindamus, & quo modo Honor & Gloria appeti possit, vel non possit, perspicuè ostendamus, illud discrimen tenendum est, quatuor modis appeti posse honorem. 1. Nudè, & absolutè, vt ordo ad conuenientia, id est honesta parandæ gloriæ media neque includatur, neque excludatur. 2. Vt ordo ille excludatur, vel in totum, vel ex parte, honorque indebitus, hoc est, vel sine meritis, vel sine tantis meritis appetatur. 3. Vt primariò gloria desideretur, quæ virtuti debita, eiusque iustum stipendium est, adeoque vt media quidem honesta non excludantur, sed præpostero ordine ad vanos honores laudesque humanas, tamquam ad finem, referantur. 4. Vt & ordo ille ad actus honestos includatur, & honor, qui expetitur, ad diuinam gloriam, ad nostrum, vel alienum commodum, vel alium bonum finem extrinsecum referatur. Si primo modo honor, media scilicet bona neque includendo, neque excludendo, sed præcisè appetatur, appetitus ille est indifferens ex